

XXXIX. Childebertus II. rex Venantio patricio eadem scribit.

XL. (Smaragdus) exarchus, ab Andrea certior factus, Childebertum II. regem promptissimo animo Francorum exercitum ad Italiam a Langobardorum dominatione liberandam misisse, hoc et principi suo et augustae se detulisse regi nuntiat. Sed in Italia Mutina, Altino, Mantua aliisque oppidis expugnatis Graecos adeo non Francorum subsidium obtinere potuisse, ut Henus, qui a rege viginti milibus militum praefectus prope Veronam moraretur, cum Autharit, rege Langobardorum, de pace egisset, priusquam Leudefredus, Olfigandus, Raudingus duces ab eius parte ad Graecos venissent. Quo facto, se non modo Autharit regem in Ticino oppido inclusum unitis copiis non oppugnasse, sed duces, exercitu invito, pace decem mensium composita, milites suos praeda oneratos deduxisse. Ita spe gentis Langobardorum delendae frustratus petit, ut rex, memor promissionis suae, opportuno tempore duces magis idoneos ad quaedam oppida Langobardorum Romano imperio restituenda mittat et damna a Francorum exercitu exspoliatorum reficiat.

XLI. (Smaragdus) exarchus et Mutina, Altino, Mantua oppidis et Parma, Regio, Placentia imperio Romano restitutis, cum Gisoulfum, filium Grasoulfi ducis Histriae provinciae, in deditionem acceperit, Childebertum II. regem, ut exercitum Romanis subsidio mittat, hortatur.

XLII. Mauricius imperator litteris Childeberti per Iocundum episcopum et Chotronem cubicularium transmissis respondens, regem denuo adhortatur, ut non verba faciendo, sed rem fortiter gerendo amicitiam cum imperatore initam praestet.

XLIII. Childebertus II. rex litteris dictatis per Furtuna [sic!], per Babonem et Griponem missis (Theodosium) filium Mauricii imperatoris obsecrat, ut (Athanagyldum) parvulum nepotem suum, Constantinopolim deiectum tutela sua prosequatur.

XLIV. Brunechildis regina, filium in eam aetatem provectum esse, ut ipse cum imperatore agere posset, gavisam et confessa, se aliquid inchoasse, quod perfectum gentibus catholicae fidei prodesset, obsecrat (Anastasiam) imperatricem, ut (Athanagyldum) nepotem suum parvulum Constantinopolim casu depulsum sibi reddendum curet.

XLV. Childebertus II. rex patriarchae Constantinopolitano supplicat, id agat, ut imperator (Athanagyldum) nepotem suum Constantinopolim delatum et patriae et parentibus restituat.

XLVI. Childebertus II. rex aetate provectus, ut ipse Christi rei proficiat, petit a Laurentio patriarcha (Mediolanensi), curet Smaragdo, exarcho Ravennae constituto, mandandum, ut Francorum manui Langobardos proeliis temptanti